



Monilia “gustus”

*Pretiosa ornamenta artificis Fulci Verdurae
de pulcherrimis rebus naturae.*





Natus a nobili gente Villae Niscemi eminente, Fulcus Verdurae (1898-1978) erat consobrinus Josephi Thomas Lampedusae (ob "Pardus", fabulam historicam, omnibus celebris).

Relicta Sicilia, migravit Lutetiam et, postea, ad Nationes Unidas. Picturae peritus, fortunam in artificum societate erat petiturus. Auxilio musici Cole Porter, qui erat utriusque amicus, convenit Coco Chanel, venustam et notam mulierem, artibus faventem omni temporis et genere. Itaque est adhibitus ad texturas delineandas et creanda monilia, necnon perficienda ornamenta a duce vici Westminster in dono accepta. Ecce ergo armillae ornatae croce Melitae et lapillis, fibulae styli Byzantini, ad quas traxit ispirationem ab Ecclesiae Ravennae Sancti Vitalis operibus musivis,



at praesertim originalia monilia forma florum et fructuum
(in primis, granati), necnon legumina, exempla harmoniae
naturae. Ne desunt quidem ornamenta quae evocant
traditiones peregrinas, ut Indicum diadema
cum longis pinnis coloratis, ad nobilem puellam dedicatum.




Cum moratus est in California, Fulcus torques creavit ad
actrices (Audrey Hepburn et Lauren Bacall, causa exempli)
et homines divites Agnelli familiae et Windsor stirpis.
Famam consecutus, Panormum remeavit, ubi picturae se
dicavit et suam miram vitam in memoriis narravit.





*Ad aurea manufacta saepe utebatur cochleis et margaritis
emptis in museis naturalibus, necnon ligno et electro, ad
celebrandam Siculam opulentiam. Inter monilia
pulcherrima, horologium actrici Getae Garbo et aurea
“animalia” cum argento et amethystis, at praecipue
“Diadema Verdurae”, quae constabat e cochlea
circumdata sapphiris.*





Fulcus Verdura numquam uxorem duxit nec filii ei fuerunt, ad stirpem prolaturam; valde collaboravit cum Luchino Visconti ad scenas parandas in "Pardus" Siculae nobilitatis. In anno 1976 publicavit librum memoriarum, cuius titulus est "Dies felicitatis aestatis", vitae operosae ultimam "petram miliarem".

(scripsit: Lucia Mattera)





FINIS!

